

cætera omnia quæ sub cælo sunt, secundum S. Augustinum. » Circa quod caput dicebat, hanc non esse sententiam S. Augustini, nec id ex inductis testimoniis probari. Primo, quia inducta testimonia non dicunt gratiam esse efficacem ex Dei omnipotentia, vel ex dominio quod habet in liberum arbitrium. Secundo, quia illud verbum, sicut et in cætera quæ sub cælo sunt, admitti non poterat; denotat enim Deum ita habere dominium in voluntates hominum, sicut et in cætera, quæ sub cælo sunt, et ex consequenti sicut respectu aliorum ita habet dominium ut omnia illa vertat quocumque voluerit sine libertate eorum, ita habeat dominium in hominum voluntates, ut eas vertat quocumque ipse voluerit absque libertate earum, quod dici non potest. Et addebat quod non est dubium quin ex hac efficacia proveniente ab omnipotentia Dei contradicatur Concilio Tridentino, sess. vi, cap. iv, quia talis omnipotentia et dominium moveret hominem, sicut et cætera omnia inanimata, et sic liberum arbitrium esset inanime quoddam, quæ fuit doctrina Calvinii. Dicebat quoque non posse esse sententiam S. Augustini istam, quia S. Augustinus expresse quæstione secunda ad Simplicianum constituit efficaciam argutiæ in suasionibus, et invocatione, qua Deus ita vocat ut novit congruere ut homo sequatur: non ergo ex dominio Dei venit illa efficacia.

XVI. Cæterum jam supra admo-
nuimus disputatione illa tertia, trac-
tantes hunc eundem locum, quam
in felici scrupulo hæreatur in illo
termino sicut, quasi velimus signi-
ficare, quod sicut res inanimatas
Deus ex suo dominio vertit, et im-
mutat sicut vult, sine earum liber-
tate, ita voluntatem nostram sine liber-
tate ejus vertat sua omnipotentia
sicut voluerit quin potius oppositum

significamus, quod, sicut dominium
Dei est super res inanimatas, et mo-
dum earum, ut necessario, et sine
libertate operentur. ita super res ra-
tionales et modum earum dominium
habet, ut libere, et non cum neces-
sitate moveantur. Sane comparatio
ista, et verbum, sicut, non est nos-
trum, sed Scripturæ Proverb. XXI:
*Sicut divisiones aquarum, ita cor re-
gis in manu Dei, quocumque volue-
rit, vertet illud.* Ergo sicut habet
Deus dominium in divisionibus
augarum, ita in vertendo et mu-
tando cor regis; nec tamen aliquis
sana mente dicere potest, quod in
prædictis Scripturæ verbis ly sicut
in hoc parificet cor regis divisioni-
bus aquarum, ut sicut istæ sine ulla
libertate divino obtemperant domi-
nio, ita et illud, sed in hoc potius
parificat, quod sicut aquæ non resis-
tunt divisioni, quæ manu hortulani
fit, ita etiam cor regis manente po-
testate, et libertate sua antecedenti
ad resistendum, de facto non resistit
Deo moventi quocumque voluerit.
Non ergo negari potest Deum ex
supremo suæ majestatis dominio cor
divertere sine læsione libertatis eo-
rum, et quoad hoc, quod est ex sua
efficacia immutare sine eorum re-
sistentia et læsione, et causare libe-
rum in quantum liberum, parificari
debet creata voluntas cæteris crea-
turis.

Jam vero quomodo in eadem con-
gregatione responsum fuerit pro de-
fensione illius capituli quod ex sen-
tentia S. Augustini posuerat Cle-
mens VIII, et Vastida contradicebat,
sic in eadem congregatione refer-
tur: « Veniamus ad illud quod prin-
cipaliter pater proposuit negando
capitulum quintum continere doc-
trinam S. Augustini cum ait gra-
tiam non habere efficaciam ex om-
nipotentia Dei, et ex dominio, quod
omnipotens habet in voluntates ho-
minum, sicut et in cætera quæ sub

cælo sunt. Quod autem ista sit doc-
trina S. Augustini constat, ex for-
malibus verbis, sic enim primum
testimonium inductum habet: Bo-
nas hominum voluntates ita esse in
Dei potestate, ut eas quo voluerit fa-
ciat inclinari. Ecce ad omnipoten-
tiam Dei reducit in terminis effica-
ciam gratiæ convertentis hominum
voluntates. Et in secundo testimo-
nio ita dicitur, Deum occultissima et
potentissima medicinæ suæ potes-
tate perducere hominis voluntatem
quo vult: ergo apertis verbis dicit
ad omnipotentiam Dei pertinere il-
lam efficaciam. Et in testimonio
tertio loco inducto ita dicitur: sic
enim velle et nolle in volentis aut
nolentis est potestate, ut divinam
voluntatem non impediat, nec su-
peret potestatem. Et tandem in alio
testimonio ita habet: nisi rectissime
crederemus et perversas, et fidei
contrarias voluntates omnipotentem
Deum ad credendum posse conver-
tere. Igitur manifestum est esse for-
malem et expressam S. Augustini
sententiam, quod gratia habet suam
efficaciam ad convertendum homi-
num corda ex Dei omnipotentia,
cum ad Dei omnipotentiam semper
recurrat Augustinus cum de efficaci
gratia Dei loquitur. Sed patres re-
verendi ideo negant Deum sua om-
nipotentia efficaciter movere liberum
arbitrium, et habere dominium su-
per illud, quia constituunt liberum
hominis arbitrium exemptum a do-
minio Dei, ita quod Deus possit illud
rogare, et suadere, non autem possit
illud immutare, inflectere, et trans-
ferre, istis enim terminis utitur S.
Augustinus quocumque ipse volue-
rit. Præterea de illa efficacissima
gratia (de qua præcedenti capite) di-
ctum fuerat, quod ut Paulus tam ef-
ficacissima vocatione converteretur,
gratia Dei erat sola (libro de
gratia et libero arbitrio, capite v.)
Ecce efficaciam habet vocatio ex so-

la gratia, ex Deo ipso, et non illam
emendicat a libero arbitrio, nec est
efficax dependenter ab illo, ut pa-
tres volunt: ideo enim negant effi-
caciæ sumere ex Dei omnipotentia,
et ejus dominio quod habet supra li-
berum arbitrium hominis. »

Et infra: « Quod præterea dixit
pater, affirmans doctrinam hujus
capitis esse contra Concilium Tri-
dentinum sessione vi, can. iv, et
quod constituit hominum volunta-
tes moveri ut inanime quoddam,
gravius est multo. Absit enim ut ex
doctrina, non dico S. Augustini, sed
ex doctrina pontificis summi tradita
in isto capite, et ordinata, contradi-
catur Concilio Tridentino. Absit
quod ex illa sequatur hominem mo-
veri ut inanime quoddam. Sed unum
quod pater fatetur jam mihi sufficit,
quod videlicet talis prædeterminatio
aperte contineatur in doctrina hujus
capitis tradita tamquam S. Augus-
tini per pontificem summum. »

Sic ibi magister fr. Thomas de
Lemos respondit, defenditque dictam
pontificis doctrinam in illo scripto
a se tradito, non quod ibi canonem
aut definitionem pontifex exprime-
ret, sed quod tamquam Augustinus
doctrinam ex pluribus ejus locis col-
ligeret, et in eo efficaciam divinam
ex dominio et omnipotentia suæ
majestatis super nostras voluntates,
sicut et super cæteras creaturas
provenire assereret. Et sic istud est
unum ex præcipuis fundamentis
evertens decreta indifferentia, et
expectantia a consensu voluntatis
nostræ efficaciam suam.

XVII. Quod autem Vastida insta-
bat non negare se dominium Dei su-
per voluntatem nostram (quomodo
enim auderet negare?) sed quod non
habet tale dominium sicut in cætera
omnia, taliter quod homines non
possent efficaciam Dei resistere, ut
Thomistæ dicunt, quod etiam Calvi-
nus dicebat, et eisdem terminis ute-

batur, et eodem argumento ducto ex dominio Dei, quod habet ad inflectendam et transmutandam voluntatem quocumque vellet, unde sequebatur tolli ejus libertatem; quodque etiam S. Augustinus in loco citato ad Simplicianum, solum ponebat efficaciam istam Dei in congruentia vocationis, quemadmodum cuilibet videt congruere, sic vocans, et per aliquas suasionem agens. Ad hæc responsum fuit, quod Thomistæ dicunt liberum arbitrium non posse resistere efficaciam Dei consequenter, seu in sensu composito, non antecedenter, seu in sensu diviso. De qua distinctione egimus supra disp. III, et tomo præcedenti, disp. XX, art. V, et sequentibus, et infra adhuc agemus. Ad Calvinum errorem, dicitur quod Calvinus non erravit præcise ponendo efficaciam gratiam antecedenter, sed inde inferens tollere libertatem, et esse necessitatem antecedentem, cum sit solum necessitas consequentiæ et secundum quid: sicut Pelagius non erravit ponendo liberum hominis arbitrium, quod est de fide, sed inde inferendo non indigere gratia. Non ergo erravit Calvinus admittendo efficaciam Dei derivari ex omnipotentia, et dominio ejus in nostram voluntatem, sicut et in reliqua omnia, et probando hoc ex testimoniis Scripturæ, quibus S. Augustinus id probavit, sed erravit Calvinus in hoc quod ex tali principio certo intulit erronee quod illa efficacia orta ex dominio Dei tollebat libertatem, putans quod illa efficacia, et illud dominium erat necessitans voluntatem, nec posset causare ipsum modum libertatis, sed tollere, si determinatum actum causabat; et sic non solum dicebat liberum arbitrium non posse resistere efficaciam Dei potentia consequenti, et in sensu composito, sed etiam potentia antecedenti, et in sensu diviso, quia existimabat pure agi vo-

luntatem a Deo, sicut equum a sensore motione physica tantum, et non excitativa.

XVIII. Ad locum Augustini dicitur, quod ibi loquebatur de vocatione congrua congruitate causalitatis et efficaciam, id est, quam causat, et facit ipsa gratia, non de congruitate solum contemperationis, et indifferentiam, cum expectatione determinationis a voluntate creata, quin potius ibidem vocabat congruam illam vocationem effectricem bonæ voluntatis. Et sic summus pontifex Clemens VIII, recte collegit ex isto loco S. Augustini gratiam efficaciam reduci in omnipotentiam Dei secundum sensum S. Augustini. De quo loco, et aliis duobus aut tribus, quibus Augustinus videtur ad efficaciam illam requirere suasionem et motionem moralem, egimus supra, eaque declaravimus disputatione tertia citata.

XIX. Constat ergo ex dictis dimiui valde divinum dominium, quod in se absolutissimum et independentissimum est a quocumque alio extra se, quia omnia extra se summo jure sibi subduntur, si in liberæ voluntatis determinatione non potest sua omnipotentia et dominio causare per modum primæ causæ id quod causa creata, si quidem illa determinatio aliquid est in rerum natura, et fit a causa creata, scilicet a libertate nostra. Inconveniens autem est quod aliquid ita sub dominio causæ creatæ, quod possit determinationem incipere a se quando voluerit, non habendo nisi indifferentem et indeterminatum concursum a Deo, Deus autem sua omnipotentia, et absolutissimo dominio in creaturam non possit facere ut incipiat illa determinatio sine læsione libertatis, quod tamen facit virtus creata. Unde fit argumentum: Dominium divinum ita est summum et perfectum, quod quicquid potest creata

virtus, et dominium, potest et Deus, et multo amplius, sed virtus creata potest incipere determinationem suam oblato indifferenti concursu Dei, et hoc sine læsione suæ libertatis: ergo idem poterit Deus sine læsione ejusdem libertatis cum sit causa, et radix illius. Et non dico quod poterit se solo, et excludendo liberam voluntatem: id enim est impossibile, quod Deus se solo operetur, et dicatur voluntas vitaliter velle; sed dicimus quod Deus incipiat, et moveat, et voluntas sequatur, et cooperetur, sicut oppositi auctores dicunt voluntatem incipere determinationem, et Deum sequi simul cooperando. Cur non poterit opposito modo fieri? Aut quæ est in hoc implicatio?

XX. Denique, potest ex his aliud inconveniens deduci pro his decretis indifferentibus, quia sunt omnino impossibilia causæ universali operanti omnia, sed solum sunt propria causarum particularium, quarum una expectat aut supponit aliam, et consequenter potest indifferenter, et indeterminate offerre ministerium suum, aut concursum ut alia utatur illa, et determinet de illo. Cæterum causa illa, quæ operatur omnia, nihil supponit, aut expectat de aliis causis, si quidem facit omnia. Ergo repugnat intelligere, quod ista causa offerat concursum indifferentem, et relinquat alteri causæ extra se ut utatur illo, sicut voluerit determinando de illo concursu accipere quam partem voluerit. Patet consequentia, quia ille ipse usus, quo illa causa determinat illam partem, debet etiam causari et derivari a Deo si quidem causat omnia, ergo et hoc. Non potest autem causari a Deo per alium concursum indifferentem, ut illum determinet voluntas, quia de hoc iterum idem inquiretur, quomodo determinetur

a voluntate, et sic in infinitum: ergo oportet ad aliquem devenire, qui ex se indifferens non sit, sed determinatus, non autem ex creato consensu determinetur, et tamen libertatem non tollat. Ergo si causatur ille usus, et cooperatio causæ liberæ a Deo, et habet ipsum Deum pro principio et radice, causatur per concursum determinatum ex se, et ex natura sua, non determinandum ex ipso consensu: si enim expectat ut determinetur a causa creata, et expositione consensus, et cooperationis ejus determinatur: ergo non causat neque fundat istam cooperationem, et consensum, quia non potest causare illum quousque sit resoluta et determinata indifferentia illius decreti, et concursus divini: determinatur autem per se ex suppositione consensus, et cooperationis creatæ: ergo non causat talem determinationem consensus, si dicimus quod ut causet, supponit illam; vel fatearis quod aliquid oritur a causa creata, scilicet illa determinatio, et cooperatio, quæ non oritur a Deo, nec radicem et principium habet in illo et tamen aliquid creatum est: ergo aliquid creatum, prout creatum, non est a Deo.

XXI. Dices: Causatur a Deo ille influxus, et cooperatio causæ creatæ per concursum Dei simultaneum a quo pendet, et hoc sufficit ut sit a prima causa, non autem requiritur quod antecedenter sit determinatus influxus Dei, ut sit causa entitatis illius influxus, et cooperationis causæ creatæ. Et hoc ipso quod uterque influxus est simultaneus, determinatur unus ex alio in sua linea, et genere. Et deinde, licet operatio causæ liberæ in sua entitate dependeat a Deo utpote res creata, tamen non sub omni respectu, et consideratione, ut est a causa creata non est a Deo: sub diversa enim habitudine est a causa universali, et a causa